

aut Angeli est impeditiva boni proprii ipsius Angeli, si velit tale bonum proprium eo modo quo sibi a Deo collatum est, et cum subjectione ad Deum, qui distribuit unicuique juxta modum sibi debitum. Unde solum potest aliena felicitas impedire bonum proprium Angeli inordinate volitum, v. g. si ipse vult esse singularis in aliquo bono, et super omnes esse, nec aliquem sibi præferri etiam ex Dei ordinatione, et tunc invidiam habere potest, sed supponentem deordinationem præcedentem circa aliud bonum, et hoc est supponere aliud peccatum, quod utique est superbiæ, cum sit circa excellentiam propriam, cui opponitur bonum alienum, quatenus impedit proprium aut singularitatem ejus. Et quando dicit S. Basilius in homilia de invidia, quod: « Invidia impulit principem malorum dæmonem ad bellum, » quod etiam alii sancti affirmant, dicimus verum esse, quod ad bellum cum homine impulit illum invidia. Sed hanc præcesserat peccatum superbiæ contra Deum. Nec est inconveniens, quod in eodem instanti, sicut et nunc modo simul Angelus de propria excellentia nimis delectetur, et de alieno bono tristetur, et corrodat intus in corde, quia isti affectus sunt circa diversa objecta; et sic non pugnant inter se.

Ad ea quæ dicuntur de ira, an repugnet Angelo, dicimus D. Thomam in hac quæstione LXIII, art. II ad II excludere iram ab Angelo, quia dicit passionem corporalem. De ira vero quæ est simplex voluntatis affectus appetentis vindictam sine passione corporali nihil dixit; sed hoc non ita curæ fuit D. Thomæ, quia ira ista, quæ est simplex affectus voluntatis, habet rationem aversionis, et fugæ respectu personæ in quam appetitur vindicta. Unde non servit talis ira pro motivo primi af-

fectus erga finem cui afficitur operans, quia talis affectus debet esse sine fuga, sed per prosecutionem, et amorem. Unde appetitus vindictæ non servit pro primo peccato, quia est erga finem desideratum, et volitum, quia est finis cujus gratia cætera appetuntur.

De vitio curiositatis non est quod illud attribuiamus Angelo in statu quo creatus est plenus sapientia: sic enim non habuit quod desideraret inquirere circa cognitionem sibi possibilem, et connaturalem, quia Angelus non habet scientiam acquisitam, sed innatam, et ab initio perfectam. Curiositas autem est vitium in excessivo studio acquirendæ cognitionis superflue. Circa cognitionem vero supernaturalem posset in Angelo esse vitium, si desideraret superiorem scientiam habere contra ordinem divinum, et sine subjectione ad Deum (nam ex subjectione ad ipsum, et subordinate ad illum, peccatum non est). Velle autem scientiam superiorem sine subjectione ad Deum plus habet de superbia, quam de curiositate, quia Angelus, si quid ibi inordinate appeteret, non tam esset scire, quam excellere, sicut cum Evam tentavit de appetitu scientiæ, magis ibi expressit desiderium excellentiæ quam acquisitionem notiæ, dicens: *Eritis sicut dii, scientes*. Sic ergo si id appetiit diabolus, magis appetiit in illa scientia superioritatem, et excellentiam sine subjectione ad Deum, quod est motivum propriissimum superbiæ, cui per accidens est quod sit in materia scientiæ, vel potentiæ, aut honoris, vel cujuscumque alterius excellentiæ.

XVI. Adhuc tamen objicies contra nostram conclusionem ad probandum quod non fuerit proprie motivum superbiæ primum peccatum Angeli, et in favorem Scoti: nam in primo peccato Angelus non respexit

tamquam rem volitam ipsum præesse aliis, et non subjici superiori, sed solum tamquam conditionem alterius rei volitæ, quia scilicet voluit sibi inhærere, ut ultimo fini, avertendo se, et non subjiciendo se ipsi Deo, quod utique non pertinet ad speciale peccatum superbiæ, sed est conditio generalis cujuscumque peccati importantis aversionem a Deo. Ut autem esset speciale peccatum superbiæ, oportebat quod non solum ut conditio, sed ut res volita attingeretur ipsum non subesse superiori, et præesse aliis. Quod vero hoc non potuerit esse primum motivum peccati Angeli, probatur, quia ut docet S. Thomas in hac quæstione LXIII, art. I ad IV, Angelus non peccavit eligendo malum ex parte rei volitæ, sed eligendo male ex parte inordinatæ electionis circa objectum bonum. At nolle subesse superiori si accipiatur ut res volita, est malum objectum, et non solum mala conditio ex parte electionis: ergo non potuit in primo peccato esse peccatum speciale superbiæ.

Confirmatur, quia Angelus non vult inordinatam, et superfluum excellentiam sibi, nisi supponendo dilectionem suæ personæ inordinatam, non quia proprie habeat ad se amorem amicitiae, sed quia se amat ut primum diligibile, et tamquam objectum, cui vult quidquid vult. Et quia se inordinate vult ut personam, et objectum cui, ideo vult sibi excellentiam superfluum, ut præesse aliis, non subjici superiori. In hoc autem quod est inordinatam excellentiam velle, est peccatum superbiæ; in eo vero quod est se nimis amare ut personam, et objectum cui, non est peccatum nisi nimie delectationis de seipso, quod pertinet ad peccatum luxuriæ spiritualis sicut multoties homines peccant nimiam delectationem capiendo de

spiritualibus, et nolendo eis carere aut saltem solum est generalis conditio omnis peccati quod procedit ex inordinato amore sui; ergo in Angelis præcessit peccatum superbiæ nimia delectatio, et amor sui, qui est libido spiritualis.

Respondetur quod non subjici superiori potest sumi non solum ut res volita primo, et per se (sic enim non solum est malum, sed pessimum, et vix appetibile nisi stulte, et per errorem) sed potest sumi ut modus, et conditio objecti voliti; et aliquando potest esse conditio generalis peccatorum, aliquando specialis, vel peccati inobedientiæ, vel peccati superbiæ. Est conditio generalis peccati quando ly non subjici sumitur pro eo quod est non subjici superiori ut regulanti, et mensuranti actu rationis: sic enim omni peccato mortali generale est averti a regula cui conformari debet actio. Est conditio specialis in peccato inobedientiæ quando recusat aliquis facere rem præceptam, ex hoc quod ab ipso superiori præcipitur, ita quod non vult subesse alteri ut præcipienti, et superiori, ut docet S. Thomas 2-2, qu. CIV. Est conditio specialis superbiæ, in quantum recusat subjici superiori ex motivo excellentiæ propriæ: vult enim excellentiam suam ita servari quod nulli reputetur inferior, et ex hoc recusat superiori subesse ut excellens maneat; et sic proprie non vult subesse superiori, ut excellenti, ideoque ut S. Thomas explicat 2-2, qu. CLXII, art. VI. Superbia pervenit ad hoc, ut aversionem quæ in reliquis peccatis est consequens, ipsa habeat pro proprio, quatenus deducitur usque ad contemptum Dei, sed hoc totum habet sub motivo excellentiæ propriæ, et contemnit Deum, seu recusat illi subesse, ut excellentiori se, in eo in quo Deus vult quod creatura se reputet inferiorem; et

idem est de aliis superioribus, quatenus ex hoc videtur propria excellentia diminui, seu non servari. Dicimus ergo, quod ad superbiam non pertinet velle ipsum non subesse, ut rem primo, et per se volitam, sed ut modum, seu conditionem requisitam ad propriam excellentiam, quatenus non vult subesse alteri, ut excellentiori se, et sic sub ratione excellentiæ, et motivo illius fertur in non subesse, seu admittit ex parte modi volendi, et eligendi, ipsum non subesse.

Ad confirmationem respondetur, quod ille amor sui tamquam personæ primo dilectæ non constituit speciale peccatum, sed est principium cujuscumque peccati, ut sumitur ex D. Thoma 1-2, qu. LXXVII, art. iv. Neque talis amor inordinatus sui est separatus ab amore rei sibi volitæ contra præceptum Dei, ratione cujus materiæ, sumitur speciale peccatum modo in excellentia propria, modo in delectatione cibi aut veneris, modo in possessione pecuniæ, etc. aut in quacumque alia re, quæ vel secundum timorem, et fugam, vel secundum concupiscentiam attingitur, ut ibidem docet S. Thomas solutione ad tertium. Quare illa delectatio, et amor de seipso est generalis conditio omnis peccati, et respectu cujuscumque peccati, etiam odii Dei, aut injustitiæ, aut timiditatis, etc. potest fieri idem argumentum quod oritur ex amore nimio erga se, et delectatione sui, ob quam vult aliquis illa bona sibi, aut nimis amando, aut nimis timendo. Et sic probaret argumentum quod pro omni peccato interveniret peccatum luxuriæ, quia intervenit tamquam motivum, et origo nimius amor sui, et delectatio de se. Dicimus ergo quod cum species peccatorum determinata, et in speciali non sumatur ex amore sui, ut præcise terminatur ad se, ut ad perso-

nam cui vult bonum, sed ex ipsa materia circa quam voluntas versatur: et quia Angelus sic voluit sibi bonum, et amavit se, quod istum amorem exercuit in tali materia, scilicet in excellentia propria volita sine subiectione ad excellentius bonum, et ad superiorem secundum regulam, et mensuram Dei: ideo illud peccatum ex parte materiæ circa quam fuit specialissime peccatum superbiæ, licet ex parte sui principii, et originis supposuerit amorem sui, et delectationem de se, quæ est principium generale omnium peccatorum tamquam motivum generale, non vero se habet ut materia cujuscumque peccati, sed hæc in Angelo fuit propria excellentia. Ex amore autem sui non denominatur aliquod peccatum esse luxuriæ, sed ex materia volita circa quam est delectatio, non ex persona cui est volitum generaliter omne peccatum, scilicet ex amore sui.

SINGULARITAS PECCATI ANGELI, CIRCA QUOD OBJECTUM DETERMINATE SUPERBIERIT?

XVII. Superbia cum sit inordinatus appetitus excellentiæ, in qua vult aliquis singulariter eminere, potuit in Angelo circa diversa objecta versari. Et difficultatem habet singulariter, et determinate assignare circa quod objectum de facto superbierit. Numerari autem possunt quatuor objecta.

Primum est, circa ipsum Deum in se, appetendo ejus æqualitatem in altitudine, et majestate.

Secundum est, unio hypostatica, appetendo eam sibi, aut dedignando quod humanæ naturæ fuerit communicata.

Tertium, beatitudo supernaturalis, nolendo eam habere ex indigen-

tia divini auxilii, aut cum consortio hominum.

Quartum est, beatitudo, et felicitas naturalis, volendo eam tantum habere, et in illa omnibus aliis præesse sine elevatione ad supernaturalem beatitudinem, in qua possent alii ei æquari aut etiam superare, sicut superare debebat anima Christi, et Beatissimæ Virginis.

Circa ista laboratur in duobus.

Primum, in assignando objectum cujus appetitus non appareat impossibilis, aut fatuus in Angelo, qui peccavit cum maxima advertentia, et malitia.

Secundum, in evitando errorem speculativum in iudicio requisito, et præsupposito ad peccatum.

Igitur circa primum objectum, scilicet circa æqualitatem Dei, pro certo D. Thomas supponit in articulo tertio hujus questionis LXIII, quod diabolus appetit esse ut Deus. Id enim manifeste deducitur ex Scriptura, tum Isai. xiv ubi ex persona Luciferi dicitur: *Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo: et Ezechielis XXVIII: Elevatum est cor tuum, et dixisti: Deus ego sum, et in cathedra Dei sedi in corde maris, et dedisti cor tuum quasi cor Dei; tum quia superbia dæmonis excedit omnem hominum superbiam, cum dicatur: *Ipse est rex super omnes filios superbiæ*, Job. xl, constat autem quod antichristus in tantam erumpet superbiam: *Ut ostendat se tamquam sit Deus*, II ad Thessalonic. II. Ergo multo amplius hæc superbia locum habuit in diabolo, ut voluerit ipse haberi ut Deus. Ex quo manent etiam firma testimonia allata ex Ezechiele, et Isaia: nam licet aliqui velint illa loqui ad litteram de principe Tyri, vel de rege Babylonis, non de diabolo, tamen ex hoc convincitur etiam ad diabolum pertinere: nam si ejus superbia excessit quorumcumque hominum*

superbiam, et in istis hominibus fuit talis superbia, quod voluerunt haberi ut Deus, quanto magis talis existimanda est fuisse superbia Luciferi, qui illorum iniquorum caput est, et in superbiendo ipsos excessit?

XVIII. Difficultas vero est, an peccaverit Angelus desiderando divinitatem ipsam secundum æqualitatem, et naturam, an vero desiderando solum aliquam illius similitudinem. In quo D. Thomas aperte affirmat citato loco, Angelum non potuisse appetere esse ut Deus per æqualitatem, ita ut vellet naturam habere divinam, sed solum appetivit esse Deus per similitudinem. Aliqui tamen in hoc D. Thomæ refragantur, ut p. Suarez lib. VII de Angelis, c. XII; Vasquez hic disp. cxxxiv, c. I et II; Molina super questionem LXIII, art. III, disputatione unica, membro III; Alarcon tract. VI de Angelis, disp. IX, c. II, conclus. IV citantque ex antiquis Scotum, Gabrielem, Majorem, et alios. Quia vero instat ratio D. Thomæ, quia Angelus evidenter videns, et sciens impossibilitatem hujus objecti, scilicet se esse creaturam, et non posse esse creatorem sine dispendio sui esse, et adhuc cum hujus dispendio id stare non posse, ut Deus esset per transmutationem sui esse in ipsum: sic enim esset Deus factus, non Deus verus: ideo distinguunt duplicem appetitum, scilicet efficacem quo intenditur rei consecutio, et inefficacem quo solum apprehensa bonitas appetitur, et in ea quis delectatur, ut multoties in figmentis, et impossibilibus etiam cognoscendo quod talia sunt, delectamur: dicunt ergo quod primo modo certum est Angelum non potuisse appetere Dei æqualitatem, utpote rem omnino impossibilem, quam nec stultus aliquis homo posset intentare, quanto magis Angelus. At secundo modo potuit Angelus de illo figmento de-

lectari, seque tamquam Deum apprehendere, et in hac de tali figmento delectatione peccasse : immorari enim in istis vanum est.

XIX. Existimo tamen omnino certum esse Angelum directe, et formaliter non peccasse hoc peccato simplicis voluntatis vanæ delectationis circa æqualitatem cum Deo, nec appetiisse esse Deum per naturam, sed per quamdam similitudinem. An vero ex consequenti, et quasi virtualiter circa hoc etiam peccaverit, statim dicam. Quæ fuerit autem similitudo illa in qua voluit esse sicut Deus, dicemus tractando difficultates sequentes de appetitu unionis hypostaticæ, refutatione supernaturalis beatitudinis ex gratia Dei, et remanentia in sola naturali beatitudine. Et ita quoad primam partem, sententiam D. Thomæ non solum probabilem, sed certam existimo. Et probatur, quia peccatum Angeli fuit circa aliquem finem, quem voluit, et intendit consequi : ergo non fuit peccatum ejus circa aliquid impossibile, neque potuit consistere in aliquo simplici et inefficaci affectu complacentiæ simplicis circa rem impossibilem. Consequentia constat, quia affectus intentivus assecutionis non potest esse circa impossibile cognitum ut tale, id enim omnino stultum est ; Angelus autem clare, et evidenter cognoscebat esse impossibile quod ipse esset Deus per æqualitatem, et secundum naturam. Antecedens vero probatur primo ex ipsa natura rei, quia primus finis cui afficitur voluntas Angeli accipitur ut finis ultimus, cujus gratia cætera omnia appetuntur, id autem cujus gratia omnia fiunt ; non poterat ab Angelo accipi id quod judicabat esse impossibile, et consequenter non sibi conveniens, nec ad quod cæteræ actiones essent dirigibiles, nisi operarentur ex magna ignorantia, et stulti-

tia : licet enim circa rem impossibilem, et chimæricam possit aliquis vane, et otiose delectari, et peccare, tamen quod rem chimæricam, et impossibilem cognitam ut talem velit aliquis intendere tamquam finem ultimum, et id cujus gratia cætera faciat, omnino videtur impossibile, et vix a summa stultitia imaginabile. Quomodo enim tam serias, et deliberatas actiones, sicut sunt reliquæ omnes quas homo facit in vita sua, et sicut fuerunt deliberatæ, et cum omni advertentia, quas diabolus fecit, dicemus propter quamdam rem chimæricam, et omnino impossibilem fieri ? Et si fatentur auctores citati non potuisse Angelum appetitu efficaci velle esse Deum per æqualitatem, quomodo potuit id sibi proponere ut finem ultimum, cui reliquas actiones subordinaret ? Cum in istis multæ actiones efficaces sint, illæ autem originari non possunt ex inefficaci voluntate finis, quia voluntas finis influit in omnes alios actu, qui ex fine sunt, ergo si inter istos multi sunt efficaces, non possunt illi originari ex inefficaci voluntate rei impossibilis, ita quod ejus gratia reliqua fiant. Non ergo potuit ille appetitus divinitatis secundum æqualitatem esse voluntas finis ultimi, et cujus gratia reliqua fierent : ergo debuit ante ipsum supponi aliquid aliud pro fine ultimo, cui subordinabantur reliquæ peccaminosæ actiones, ergo in illo fuit primum peccatum Angeli, non in appetitu illo inefficaci æqualitatis divinæ.

XX. Deinde, probatur idem antecedens, quia Angelus in rei veritate in eo quod appetiit in primo suo peccato non solum intendit, et voluit inefficaciter delectari, sed voluit negotiari, et illud consequi, aliosque ad id sollicitavit. Quis autem dicat totam sollicitudinem, et negotiationem tam sublimis, et tam sapientis creaturæ, sicut fuit primus

Angelus, et tam intelligentibus creaturis loquens, sicut erant omnes Angeli illi inferiores in unicum illum scopum collineasse, ut in re omnino impossibili, et cognita ut tali, delectarentur, scilicet inefficaciter, et vane cogitando se esse Deum per naturam. Quis, non dico Angelorum, sed etiam hominum admittet, vel non ridebit, hanc totam fuisse curam alicujus sapientissimi ac prudentissimi inter omnes homines ut infinitis fere populis persuaderet vanam, et ineptissimam cogitationem alicujus rei impossibilis, et chimæricæ, v. g. quod detinerentur in cogitando se esse Angelos, aut volare sicut aves, aut se habere corpora cælestia, aut divinam habere naturam ? Et in hoc totam curam, et conatum suum ponere, ut persuaderet immorari in istis. Quid ineptius ? Quomodo ergo existimandum est illum Angelum plenum sapientia, et vaferimum draconem rem talem persuasisse Angelis suis ut vane, et inefficaci quodam motu cogitarent, et desiderarent se naturam habere divinam, et in hac ineptia immorarentur. An persuasisse Angelum illum supremum, et inquieta negotiatione sollicitasse inferiorum Angelorum peccatum, intentasseque ut sequerentur se, clare ex Scriptura deducitur Ezech. xxviii : *Tu Cherub extentus, et protegens, et posui te in monte sancto Dei, etc. In multitudine negotiationis tuæ repleta sunt interiora tua iniquitate, et peccasti : et infra : In multitudine iniquitatum tuarum, et iniquitate negotiationis tuæ polluisti sanctificationem tuam, etc.* et Isai æxiv : *Quomodo cecidisti de cælo Lucifer, qui mane oriebaris ? Corruisti in terram, qui vulnerabas gentes, qui dicebas in corde tuo : In cælum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo ; et infra : Tu*

*enim terram tuam perdidisti, tu populum tuum occidisti, etc.* Ecce quomodo peccatum Angeli describitur, non per modum simplicis voluntatis, et complacentiæ de re chimærica, et impossibili, sed tamquam negotiatio quædam, et inductio aliorum quos perdidit, et ut intentio rei quam desiderabat consequi, scilicet ascendere super cælum, exaltare solium super astra, et in hoc assimilari Deo, non dixit : *Æqualis ero Deo*, aut *ero ipse Deus*, sed similis *ero Altissimo*, quod dicit non æquiparantiam divinitatis, sed assimilationem in majestate, in cultu, etc. Denique, quod desideraverit aliquid non chimæricum, et impossibile ex se, licet illicito, et pravo modo superbæ, constat ex illo Anselmi libro de casu diaboli, ubi ait : « Diabolum id appetiisse, ad quod pervenisset, si stetisset. » Igitur objectum ejus non fuit aliquid impossibile, et chimæricum, sed aliquid ad quod poterat perveniri aliquo medio, licet non illo quo ipse appetiit. At ipsum Angelum esse Deum secundum naturam, nullo medio erat assequibile, nec ad illud pervenisset, etiam si stetisset : ergo illud non fuit primum peccatum Angeli directe, et per se primo desideratum, et volitum.

XXI. Circa secundam partem conclusionis supra positæ, nempe, an ex consequenti, et quasi virtualiter Angelus potuerit sic peccare volendo esse sicut Deus per æquiparantiam, dicimus hanc voluntatem non repugnare, quod sit in Angelo tum virtualiter, et indirecte, tum formaliter secundum quamdam vanitatem post aliud prius peccatum in quo tamen ipse etiam ex pravo fine adjuncto peccabit mortaliter. Est quidem virtualiter, et indirecte, quatenus in promptitudine, et affectu animi ex odio adversus Deum, ita diabolus est dispositus, quod si posset